



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 74. Bituricensis Archiepiscopi oratio ad Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

A.C. 1584.

§. LXXIV.

Bituricensis Archiepiscopi oratio ad Regem.*Actes & mem. du Clerge Vi-tre ann.*

10.16. p. 40.

Igitur Bituricensis Archiepiscopus, cui Regem alloquendi munus erat de-  
mandatum, necnon Cardinales hanc  
in rem die decima tertia Junii in op-  
pido sancti Mauri ad fossas, ubi tum  
Rex agebat, conveniunt, atque inter  
eos Archipræsul Regi hæc exponit:  
„Franciæ Clerus, qui non modo per tri-  
„buta, ac decimas de beneficiis præ-  
„ter morem impositas, sed etiam con-  
„tinuas bonorum Ecclesiasticorum usur-  
„pationes aliunde ultra modum oppres-  
„sus gemit, novas exactiones ferendo  
„impar est: viginti enim abhinc annis  
„calamitates ad tantum crudelitatis  
„cumulum excrevere, ut in Galliis nil  
„nisi homicidia, ruinæ, sacrarum-  
„que ædium devastationes, usurpationes,  
„prædiorum incendia, proven-  
„tuum deprædationes, captivitates,  
„aliæque violentiæ nunquam auditæ  
„cernantur: insuper regia Majestas ve-  
„stra nova sua exactione huic malorum  
„cumulo adhucdum novum adjicit o-  
„nus haud tolerandum, quantumvis  
„ex centum viginti Diæcesibus ægre  
„sexaginta numerari valeant, quæ ab  
„his calamitatibus tam atrocibus exem-  
„ptæ



„ptæ fuerunt, reliquis adeo crudeliter  
 „vexatis, ut ab ipsis etiam Turcis nobis  
 „spondere potuissemus, quod mitius,  
 „si hæc Provincias occupassent, illas  
 „habuissent; hi enim, si illis modera-  
 „tum, fixumque penditur tributum, sal-  
 „tem vitæ securitati, ac Religionis li-  
 „bertati cavent: verum in nostris Diæ-  
 „cesibus, præterquam quod violentis  
 „pecuniarum extorsionibus, ac bono-  
 „rum deprædationibus vexentur, in-  
 „super vita nostra in continuo versatur  
 „discrimine, atque ipsi etiam Religioni  
 „omnis libertas interdicitur: præterea  
 „etiam ultra mediam partem Ecclesia-  
 „rum bona fuere imminuta per aliena-  
 „tiones, quibus Regia sua Majestas pro-  
 „ventus, & prædia sibi vendicabat,  
 „adeo, ut intra viginti annorum spa-  
 „tium hæc alienationes ad plusquam  
 „vigies decies centena aureorum mil-  
 „lia ascendant: si ergo pecunia, quam  
 „sua Majestas sub quæsito Helvetiis sti-  
 „pendia numerandi obtentu postulat,  
 „adhuc Clero imponitur, tunc Eccle-  
 „siasticorum potissimi suis officiis cedere,  
 „victumque ostiatim emendicare cogen-  
 „tur: exinde vero Divinum Officium  
 „intermittetur, prout jam factum esse  
 „in plurimis locis cernitur non sine gra-  
 „vi totius populi offensione: haud equi-  
 „dem diffitemur, quod regnante Hen-  
 „rico

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1584



Sæcul. XVI.  
A.C. 1584.  
„rico felicitis recordationis secundo sex  
„omnino decimæ Clero fuerint impo-  
„sitæ: ast præterea considerandum,  
„quod tum adeo gravis obversata sit  
„necessitas, ut hostis jamjam præ fo-  
„ribus, ac regnum proximo periculo  
„expositum esset: si idem quoque ur-  
„geret eventus, etiam calices, atque  
„argentea Ecclesiæ vasa pro Regni in-  
„columitate venderemus: verum cum  
„ejusmodi necessitas nequaquam nunc  
„institat, perniciosi exempli res est, bona  
„Ecclesiastica ad profanos usus impen-  
„dere. „ His dictis Archipræsul ora-  
„tioni suæ finem imposuit, hæc sub-  
„jungens: „Majestati vestræ suppli-  
„camus, ut ad proxima Cleri comitia  
„hujus negotii decisionem remittere, vel  
„trecentis librarum millibus, per quæ  
„vendita Ecclesiarum bona redimantur,  
„contenta esse velit. „ Perceptis hisce  
rationibus Rex nonnisi unicam exige-  
bat decimam, quæ solitis duabus so-  
lutionibus penderetur, alterum vero  
caput de redimendis Ecclesiarum præ-  
diis condonabat.

## §. LXXV.

*Libellus supplex Regi a Clero por-  
rectus.*

Sequenti die decima nona Julii Clerus  
una congregatus Regi libellum sup-  
plicem